

lione oneratur, et sequenti egestate premitur. Quanta vero est hæc stultitia, pro perpeti solatio perpetem sibi eligere pœnam? Annon magnum foret operatio solatium, si finitis operis sciret se domi reperturum bonum cibum, bonum potum? Annon magna pœna inebriari et postea carere? Ne dicam morbos sibi conciliare? Accusant denique istos uxor et liberi, qui jure suo fraudantur, viro omnia dilapidante, per quem sæpe ad extremas rediguntur angustias, furari coguntur, aut mori, etc. Propterea apud Corinthios mos fuisse dicitur æquissimus, ut si quis rerneretur splendidius obsonare, interrogaretur de suis facultatibus; et si illæ victui illi æquales vel majores essent, permittebatur victitare; sin minores, quam facultates ejus ferrent, ei muleta imponebatur. Quod si nihil haberet, tamen adeo pipare viveret, necandum carnifici tradebant, quia aut furem esse dicebant aut furibus participare debere, Diphilus, in mercatore Athen. lib. V. cap. II. dipnosoph. Tandem exemplum terribile hujus dissolutionis narrat Jo. Benedicti, lib. III. suæ summæ, capite VII. in appendice, his verbis: « Quid paucos ante annos homini lusui et poculis addictissimo contigerit, hic minime prætereundum. Hic cum rem omnem in lusu et popinis consumpsisset, eum aliquando potitantem adivit uxor rei domesticæ penuriam expositura, sed sic illam verberibus excepit, præsentibus compotoribus, ut ceu mortua sit ibi relicta. Misera tandem resurgit, ac domum reversa occurrit duobus puerulis, qui hinc inde illius vestem apprehendentes, vociferabantur: Da panem mater, mater, fame perimus; jamjam biduum est ex quo nihil sumpsimus. Ah! pueri mei, undenam habebis? Pater vester expendit omnia. Quid agendum? Præstat semel mori, quam sic fame languere, et una morte mille mortes redimere. His dictis, velut desperabunda, confestim arripit cultrum, quo utrumque jugulat. Sub crepusculum vero noctis maritus domum reversus ebrius et reliqua substantia exhaustus lecto se committit, quem ut somno sopitum vidisset, eodem cultro, eadem audacia, qua Judith Holoferni, etiam marito caput amputat. Morieris, inquit illa, cum perversa tua vivendi ratio sit tua ipsius et mea et puerorum nostrorum ruina. Re palam facta ipsa a magistratu comprehensa, facti veritatem fatetur. Et tandem morti adjudicata supplicium libenter subiit, habita prius ad conjugatos monitione, ne sic sua in aleis et tabernis dissiparent. En ut gula cum alea his quatuor mortem intulerit! »

V. Illustrium et ditiorum hominum fastus, pompa et sumptus immoderati. Horum enim

aliqui pavonum instar, (quibus flabellum non pro temone, ut aliis servit avibus, sed mere ad ornatum et spectaculum) se adornant nullo fructu, et superbiæ impendunt, quod plurimorum ventres satiare posset. Alii perpetui sunt in poculis et patinis, bibunt ut vomant, vomunt ut bibant, suntque instar animalis illius, quod a voracitate helluo dicitur; quoniam reperto cadavere tantum vorat, ut violento cibo corpus instar tympani distendatur, et protinus duas arbores vicinas quærit, inter quarum angustiam comprimit et stringit ventrem, ut violentius egerat, locumque novæ voracitati faciat; sicque ad vorandum redit. Refert Pererius, in Gen. multi tales helluones, qui ut largius et diutius bibere possint, vim naturæ inferunt variaque gulæ irritamenta excogitant; alii frequentissima symposia et comotationes instituunt, quibus sumptus non necessarij fiunt; alii immoderatos sumptus faciunt in alendis equis, canibus, falconibus, mimis, scurris, thrasonibus, etc. Quæ omnes superfluitates si in pauperum usus cederent, nemini dubium, quin pauperes esse desinerent. Nam si de Pittaco illo legislatore scribit Laertius, libro I. cap. V. postquam is tulisset legem, ut qui per temulentiam secleris aliquid commisisset, duplo plecteretur, inde factum esse, ut paulo post insula vino abundaret: quanto id magis fieret, si non ebrietas tantum, sed et alii sumptus immodici caverentur et pauperibus cederent? Nec certe video, quomodo non propterea isti rationem Deo redditori sint; siquidem videntur pauperibus abstrahere, quod adeo male perdunt; et quod illis est superfluum pauperibus est necessarium. Ad quid enim Dominus tam sedulo jussit in utroque illo convivio quod exhibuit hominibus, ut colligerentur fragmenta, ne perirent? Docere utique voluit divites, ut ipsi temperanter viverent, superfluum vero pauperibus darent; alioqui rectissime dici potest, quod Judas perperam dicebat: *Ut quid perditio hæc? Potuit enim hoc venumdari et pauperibus dari.* Numquid enim ideo vobis plus dedit Deus, ut tam inutiliter id prodigeretis? Numquid soli contulit tam copiosum lumen, ut sibi tantum, non nobis luceret? *Væ qui conjungitis domum ad domum, ait Isaias, cap. V. et agrum agro copulatis usque ad terminum loci! Numquid habitabitis vos soli in medio terræ? etc.*

VI. Impietas et indevotio multorum, qui Deo pro acceptis beneficiis gratias non agunt, divina negligunt, et regnum cælorum terrenis suis negotiis postponunt. Si enim quærentibus primo regnum cælorum terrena adjiciuntur; licet argumentari, quod non quærentibus non adjiciantur.

tur. Unde Isa. V. dicitur: *Vinum in conviviis vestris, et opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis. Propterea nobiles ejus interierunt fame, et multitudo ejus siti exaruit.*

VII. Diffidentia de Deo, quoniam multi in sua confidunt industria plusquam in Deo. Unde quemadmodum Christus in Nazarenorum civitate signum facere non poterat ob incredulitatem eorum; ita multis non adfert eam opem, quam alioquin afferret, ob diffidentiam eorum in Deum. Ob hanc causam populus Israel sæpe affligebatur fame, quia de Deo diffidebat, uti Num. XI. ubi Moyses ipse quoque dubitabat, quomodo Deus tantum populum saturare carnis posset. Sed respondit ibi Dominus: *Numquid manus Domini invalida est? Quid certius aut evidentius argumento illo Domini, Luc. XII. Si Deus pascit volatilia cæli, quæ non serunt neque metunt, et vestit lilia agri, quæ non laborant neque nent, quomodo non magis hominibus, quos ad imaginem sui condidit, et per Spiritum s. in filios adoptavit, providebit omnia necessaria ad vitam? Nonne facile est in oculis Dei subito honestare pauperem? id est, locupletare, ut habet vox Græca, Eccles. XXI. item Psalm. XXXIII. Non est inopia timentibus eum! et Psal. XXXVI. Non vidi justum derelictum, etc.*

## CONCIO VII.

QUIBUSNAM INTER ALIOS MAXIME VITANDA SIT  
EBRIETAS.

I. Adolescentibus. — II. Mulieribus. — III. Senibus.  
— IV. Principibus, et magistratibus. — V. Clericis.  
— VI. Christianis præ aliis hominibus.

## THEMA.

*Vinum non habent.* Joan. II.

Nobilis quidem creatura vinum est; sed quam nobilis est, cum debito modo capitur, tam noxia et vilis est, cum intemperanter bibitur. Propterea forsitan Christus in nuptiis hodiernis distulit nonnihil vini miraculum, quasi prius deliberans expediretne convivis vinum propinare? Quando alias plerique solent tam nobilem liquorem ad suam haurire perniciem. Hanc enim causam reor, cur ejusdem vini notitiam et confessionem voluerit Deus mundo occultam esse usque ad annos 1600. post mundi creationem; tunc enim vitis quidem et uvæ erant, sed nesciebant homines vinum inde exprimere. Vidit ergo Deus, profuturum ex una parte vinum generi

humano ad mœrorem, labores et infirmitates ejus leniendas et roborandos; ex altera vero parte, multis obfuturum, adeoque fore hominibus lapidem offensionis; quod vel ipse statim Noe, qui vini inventor fuit, in se expertus est, cum bibens inebriatus est, nesciens vim vini, quam si cognovisset, fortasse non prodidisset. Et quæ alia causa est, cur omnibus nationibus providerit Deus agros, non omnibus item vineas, nisi quia illi ad necessitatem, hæc ad voluptatem magis faciunt, et quia illi satietatem tantum, hæc vero ebrietatem etiam afferunt? His tamen susque deque habitis vinum illud Noeticum tam avidè citoque ab omnibus arreptum, tentumque fuit, ut ipsum ejus nomen in omnes linguas transierit, idemque quod prius, apud omnes licet jam linguis divisos, remanserit: vinum enim Hebræis dicitur jain seu jen; Græcis oinos; Latinis vinum; Gallis vin; Hispanis, Italis et Sclavonibus, vino; Germanis, Anglis et Belgis, win, vel wein. Sed et Noetica ebrietas ad omnes pene transiit, cujuscumque status, sexus, conditionis homines, magno humani generis opprobrio. Quod tamen non idem est in omnibus, sed in quibusdam minus, in aliis vero majus, ut videbimus.

I. Ebrietas vitanda maxime est adolescentibus et multo magis pueris. Primo, quia si plus æquo bibant, calorem jam satis intensum augment, aquæ potius temperamento valde indigentem. Hinc Plato, lib. II. de legibus, pueris usque ad annum decimum octavum vinum prohibuit; quod non oporteret ignem igni in corpus atque animum suggerere, antequam viri effecti subire labores incipiant. Accedit S. Hieronymus, in ep. ad Eustoch. « Vinum et adolescentia, inquit, duplex est voluptatis incendium. Quid oleum flammæ adjicimus? Quid ardenti corpuseculo ignium fomenta ministramus? » Denique apostolus, ad Tit. II. ait: *Juvenes hortare ut sobrii sint.*

Secundo, quia, quod ex dictis sequitur, destruantur illorum animi et corpora. Animi, quia ex vini intemperantia progignuntur vitia, veluti ex palude vermes, ranæ, sanguisugæ, etc. unde reipublicæ nequeunt prodesse. Corpora, quia experientia docet, multos fieri debiles, obtusos stolidos, et quosdam extingui omnino. De tribus adolescentibus narrat Athenæus, lib. I. cap. II. quod vino calefacti usque eo dementia processerint, ut in taberna degentes in triremi se navigare et mare turbatum crederent, ac velut in naufragandi periculo suppellectilem domesticam per fenestram ejicerent, ut paulo supra diximus. Quod si non omnino removeri potest vinum a mensa adolescentum, sit saltem, quod

D. Paulus monet, 1. Tim. V. modicum, sit bene dilutum; nec extra prandium et cenam.

II. Mulieribus; sic enim scribit Ecclesiasticus, capite XXVI. *Mulier ebriosa ira magna: et contumelia et turpitudine ejus non tegetur*, quasi dicat: Indignationem movebit, et claves pudicitiae perdet. Primo, propter animi debilitatem et mutabilitatem; gerunt enim thesaurum pudicitiae in vasis fictilibus. Unde Sanct. Chysoet. hom. XVI. in Math. et serm. XVII. ad pop. *Quid, inquit, ebria turpius muliere? Quanto namque vas est imbecillius, tanto majus est naufragium*. Romanis ebriae mulieres adeo suspectae fuere, ut hoc ipso pro adulteris haberentur, quia, ut ait Valer. Max. l. II. cap. I. *Proximus a Libero patre intemperantiae gradus ad inconcessam Venerem esse consuevit*. Quare Gellius, lib. X. c. XXIII. docet non levius in femina temulentiam aut etiam vini usum, quam adulterium puniri. Certe a Romanis absolutos fuisse maritos, qui ob vini potum occiderant uxores, testatur Plinius, l. XIV. cap. XIII. et ideo prope feminis osculum dare consuevit, ut seirent, an temetum olerent. Ex Annæ illius Samuelis matris sententia mulieres temulentae sunt filiae Belial, id est, absque lege, pudoris scilicet et honestatis, l. Reg. I.

Porro hoc studiosius observandum virginibus Christo desponsis, quarum temulentiam S. Hieronymus, in reg. monial. vocat sacrilegium: et rursus ad Eustoch. *Si quid, inquit, in me potest esse consilii, si experto creditur, hoc primum moneo, hoc obtestor, ut sponsa Christi vinum fugiat pro veneno*.

Secundo, propter imbecillitatem corporis et cerebri earundem; quando enim velut muscae facile per se corruunt, quid opus est impulsu? Adde ebrietatem multo esse turpiorem in muliere, quam in viro, omnium hominum opinione. Quare virgo Deipara prudentissime sane, non pro se vinum petiit, sed pro aliis hospitibus. Non enim ait: Vinum non habemus, sed: *Vinum non habent*.

III. Senibus, quibus quantum congruit vinum moderate sumptum ob naturae frigus, tantum nocet ebrietas seu vinum immoderatum. Primo, propter ætatis venerandam canitiem, nam imprimis turpe est viros vel mulieres senecta venerabiles, de potestate mentis dejici, servos fieri cupiditatum suarum, et ob id junioribus fabulam et ludum, uti factus est Noe filiis suis. Unde jubet eos apostolus, ad Tit. II. *Non multo vino servientes esse*. *Quod enim in adolescentibus, inquit Hieronymus, est libido, hoc in senibus est ebrietas, ut non sint sui, sed vini*. Deinde senes in rep. sunt veluti consilarii et medici juniorum: his

vero quomodo consulent, si non constent sibi? Taceo malum exemplum, quo dum tibias inflant, saltare faciunt juvenes. Quare sicut majoris periculi et pudoris est si adulti in terram cadant quam si infantes: ita turpius et periculosius est, si senes de potestate mentis dejiciantur. Non prohibet eis apostolus vini usum, sed servitutem; dominantur vino, non serviant.

Secundo, propter valetudinem. Vita etiam senum modicus est igniculus calor naturalis, qui exiguo sustentatur pabulo brevi extinguendo; unde cito læditur, adeoque extinguitur cibo potuque immodico.

IV. Principibus et magistratibus: primo, quia debent esse omnium horarum homines, semper parati ad tractandas res gravissimas, ad consilia et responsa danda, ad jus dicendum et secreta servanda, juxta præceptum Salomonis Proverbiorum, capite XXXI. *Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas: ne forte bibant et obliviscantur iudiciorum, et mutant causam filiorum pauperis*.

Plato, l. II. de legibus ait: « In civitate vini usum nunquam servo vel servæ concederem, sed nec magistratibus toto eo tempore, quo magistratu funguntur, gubernatores etiam atque iudices munus suum subituros a vino penitus prohiberem. » Unde est illud Heracliti adagium: *Anima sicca sapientissima*.

Secundo, quia decet eos gravitas, modestia, animique moderatio. *Ebrietas* autem, ut notat S. Basilius, hom. XIV. de ebriet. *impudicitiae est mater, risu gaudet, insanit, ad omnem dedecoris speciem facilis est et proclivis: et ut ait S. Hieronymus, ep. LXXXIII. ad Oceanum: Vinolentia scurrarum est et comessorum*.

Quare ut refert Strabo, l. XV. moris fuit apud Indos, ut quæ mulier ebrium regem interficere potuisset, præmii hoc haberet, ut successori nuberet. Quod sane præstitit Zenoni imp. vinolento atque ebrio uxor, dum vivum sepulcro inclusit et mori coegit. Solon etiam apud Laertium, l. I. principem, qui temulentus deprehenderetur, morte mulctandum lege sanxit. Lamentabili exitu luit ebriositatem suam Phocas imp. Hic enim cum eo die, quo ludi equestres peragebantur, in edendo et bibendo modum excessisset, a plebe per ignominiam verbis hujusmodi notatus est: *Rursus e caneo* (poculi genus est a sono quem edit effluente vino simul et aere) *bibisti, rursus mentem amisisti*. Ob id convicium complures morte mulctavit. Itaque cum viderent proceres ac magistratus reip. magnam hominum multitudinem multis malis affici, bona per publicationem adimi, capita præcidi, ad Africæ præ-

torem Heraclium litteras mittunt: qui precibus eorum motus classem parat, et contra Phocam proficiscitur, adferens secum illam imaginem Christi, quæ manibus facta non erat. Hoc modo Phoca superato, Photinus quidam unus ex magnatum numero, cujus uxoris pudicitiae Phocas antea struxerat insidias, subito in palatium irrupit, et Phocam imperatorem pulla veste indutum mox ad Heraclium deducit; qui cum Phocam, verbis compellaret: *Itane miser rempublicam administrasti?* respondit Phocas: *Tibi vero per me licet, ut rectius eam geras*. Hinc ei recta manus et pedes amputati, cutis dorso detracta, caput denique gladio præcisum, reliquus vero corporis truncus in foro, quod boarium nuncupant, per contumeliam hinc inde tractus, tandem igni traditur, ita Michael Glycas, IV. part. annal. Byzant.

V. Clericis et litteratis. His enim præ aliis magis exprobrat ebrietatem Isaias, cap. XXVIII. dicens: *Sacerdos et propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt a vino, etc.* Hæc autem loquitur, cum indignatione, quasi apud istos non quaesivisset ebrietatem. Sed cur istis, inquires, adeo vetita ebrietas? Primo, ut ad studia sacra tractanda semper habiles sint. Leotychidas rogatus, cur Spartiate parum bibant, respondit: *Ne pro nobis consultant alii, sed pro aliis nos*, Plut. in Lacon. Hoc dicant sacerdotes, sibi nimirum pro aliis consultandum, vigilandum et orandum, ideo et vino modice utendum. Epaminondas cæteris quidem vino consopitis, urbem sedulus obibat, dicens: Sibi, ut pro aliis vigilare posset sobrie vivendum, Plut. lib. de doctrin. princip. Atqui et sacerdotes pervigilant pro aliis. Sacerdotes legis veteris intraturi tabernaculum, vino abstinere jubentur, Levit. X. quanto magis ebrietate sacerdotes legis novæ, qui ad altare Domini toties intrare solent?

Secundo, ne infirmis sint offendiculo. Ipsi enim laicorum specula sunt; unde in iis sordes magis elucescunt majorique damno: quomodo enim in speculo fœdato cerni queant maculae? Eccles. XXXIV. *Ab immundo quid mundabitur?* Unde Petr. Chrysol. ait: *Ebrietas in alio crimen est, in sacerdote sacrilegium: et Hieron. ad Nepotianum: Facile, inquit, contemnitur clericus, qui sæpe vocatus ad prandium ire non recusat, etc.* quemadmodum enim speculum minima re velut unico halitu obscuratur, ut nihil repræsentet; ita sacerdotum fama facile læditur.

VI. Christianis omnibus. Primo, quia habent multos et potentes hostes perpetuo eis insidiantes: ita enim S. Petrus, epist. I. cap. V. alloquitur Christianos: *Sobrii estote et vigilate, quia ad-*

*versarius vester diabolus tamquam leo rugiens circumcui, quærens, quem devoret*. Qua sententia apostolica monet nos Ecclesia quotidie in completorio, antequam eam cubitum, ut scilicet caveamus crapulam, quam eo tempore maxime quærit dæmon insinuare hominibus, ut inde in plura vitia eos deturbet. Sæpe monet apostolus milites nos esse, uti et Job: *Militia est vita hominis super terram*. Quemadmodum ergo milites vigilare adversus hostem et excubias suas diligenter agere debent, maxime de nocte, ita et Christiani. At vero si quis ebrius sit, eatque cubitum, quomodo vigilabit, quomodo a diabolo non facile præcipitabitur ad incontinentiam aliaque nefanda crimina? Procopius, l. I. de bello Wandalico, refert Belisarium ducem duos milites, quod quemdam in exercitu militem ebrii occidissent, palis infixisse ac dixisse: *Nulla ratione fas ebrium esse, multo minus in exercitu militi*. Dictum, Christiane, tibi hoc existima; nefas est inebriari milites, ergo et Christianos, qui semper in acie stare et hostem expectare debent.

Secundo, quia Christiani in luce ambulant, ideoque ad hoc adniti debent, ut honestatem præ se ferant, et virtutem redoleant in omnibus suis actibus. Hoc enim docet apostolus, ad Rom. XIII. *Abjiciamus ergo, inquit (quia scilicet dies evangelii nobis illuxit) opera tenebrarum, et induamur arma lucis sicut in die honeste ambulemus*. Qua ratione, o apostole? Respondet mox: *Non in comessionibus et ebrietatibus*. Comessiones sunt convivia gulæ causa instituta et fere nocturno tempore, ubi major est licentia bibendi et impudentia peccandi, adeoque dedecent Christianos, qui cum in die ambulent honeste semper ambulare debent. Idem repetit I. Thessal. V. cum ait: *Omnes vos filii lucis estis et filii diei, non sumus noctis neque tenebrarum. Igitur dormiamus sicut et cæteri, sed vigilemus et sobrii simus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Nos autem qui diei sumus, sobrii simus*, q. d. mirum non est gentiles ebrietati fuisse deditos et vitam Epicureorum duxisse, quia in nocte infidelitatis et ignorantiae hoc fecerunt. Vos autem Christiani versamini in die, ergo sobrii esse debetis. Et quemadmodum longe fœdus ac poena dignius est, ebrium clara die vagari per plateas, quam si id noctu faciat; ita Christiani multo gravius punientur ob vitium ebrietatis, quam Turcæ vel gentiles. Et quorsumnam ibunt isti filii tenebrarum, nisi ad eas, quas amarunt, tenebras exteriores? Sic enim eis minatur Isaias, c. V. *Væ, inquit, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam et potandum usque ad vesperam!* (Ecce tibi Christianos, qui in die evangelii sec-

tantur ebrietatem) sed quid tandem de his fiet? Sequitur: *Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino, et descendit fortes ejus et populus et sublimes gloriosique ejus ad eum.* Justo enim Dei judicio, qui ad vinum absorbendum os suum aperuerunt sine termino satietatis, deglutientur ab inferno, qui et ipse aperiet os suum contra illos absque ullo termino, et bestias inexplebiles inexplebili vorabit ingluvie.

## CONCIO VIII.

## CÆREMONIÆ NUPTIARUM EXPONUNTUR.

I. Paranympus. — II. Annulus benedictus. — III. Stipulatio manuum. — IV. Stola circumflexus. — V. Sacrificium missæ. — VI. Benedictio novorum conjugum. — VII. Vinum amoris.

## THEMA.

*Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Joan. II.*

Cum dilectum filium in exteram nationem dimittere a se parentes volunt, prius ei provident de rebus ad iter, præsertim periculosum, necessariis. Pater illi equum, servum, viaticum, vestes, arma dat: mater eum sacro amuleto munit, agno Dei ad collum appenso, addit electuaria, præscribit documenta et vivendi normam, etc. Simili provisionis sollicitudine dimiserunt a se Tobiam parentes in Rages civitatem, dederunt ei necessaria ad iter, adjunxerunt comitem, necnon et canem, impertierunt benedictionem, Tob. V. Periculosum iter est status conjugalis, multis ærumnis et difficultatibus refertum. Quare Ecclesia mater nostra, cum quem filiorum suorum ad statum illum dimittit, prius circa illum plures adhibet cæremonias, quibus ille partim juvetur et roboretur velut amuletis, partim instruat velut documentis. Sacrificium altaris offert, benedicit novos conjuges, jungit eorum manus colligatque stola sacra, munit ornatque annulo, adhibet paranympus, offert vinum amoris seu benedictionem S. Joannis. Prævidet enim immanes et prædaces pisces, prævidet Asmodæos, qui Tobie insidiantur et conjugibus: sollicitudines, ærumnas, tentationes, contra quas armare et instruere eos vult Ecclesia sacris illis ritibus, qui ut salutare illis fiant a nobis explicandi sunt.

I. Adhibentur paranympus, qui sponsam sponso adducant. Occasionem huic cæremonie videtur dedisse Deus, qui adduxit Evam ad Adamum, adeoque paranympus ejus fuit. Ecce vero, nisi ut doceret, Deum esse debere, non Asmodæum,

non Mammonam, non similes procos qui sponsam adducit sponso. Quod enim est oculus corpori, hoc est intentio seu paranympus iste conjugio. Si oculus simplex, rectus et lucidus fuerit, totum corpus lucidum erit. Si cæcus vel obscurus oculus, cæcum et obscurum corpus. Ita omninari licet de statu matrimonii, quod si laudabili fine et cum Deo ceptum sit, felix utique faustumque erit; sin aliter, miserum et ærumnosum.

Solent in paranympus communitè eligi juvenes, forma decori nullisque corporis defectibus obnoxii. Risum enim ciet, qui vel seniculum, vel cæcum, vel mancum, claudum, gibbosum produceret paranympum suæque sponsæ adjungeret. Qualis ergo paranympus, talis et intentio, quæ adducit te ad matrimonium, sit necesse est; liberorum scilicet procreatio ad Dei gloriam. Quod si paranympum habes vel habuisti, conjugis decorem et pulchritudinem, seniculum nactus es; quia Isaias: *Omnis caro fenum et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fenum, etc.* Isa. XL. Si divitias, gibbosum; quia quod gibbus est camelo, hoc homini sunt divitiæ, grave impedimentum ad ingrediendum per angustam cœli portam. Si potentum amicitiam, claudum; quia Jeremia teste, cap. IX. *Omnis amicus fraudulenter incidet.* Multa enim promittet, pauca præstabit, et quod maximum est, salutem, nec, si velit, præstare potest. Si præcise consilium vel hortatum amicorum, cæcum; quia in hoc negotio nemo non cæcutit, et cæcus cæcum ducit. Sola Dei gloria honestaque liberorum procreatio et educatio præclarus paranympus est. Hujus exemplar fuit servus Abrahamæ Eliezer, qui jussus ab hero quærere et adducere sponsam Isaac, ad precandum prius Deum recurrit, ubi talem invenire sponsam domino suo posset, quæ illi ex voluntate Dei placitura esset. *Domine Deus domini mei Abraham, inquit, occurre, obsecro, mihi hodie* (Hebr. *fac mihi occurrat*, talis scilicet filia, qualem Isaac uxorem cupit Abraham) *et fac misericordiam cum domino meo Abraham*, Gen. XXIV. Hujusmodi etiam paranympa fuit Pulcheria Augusta soror Theodosii imp. quæ postquam summo studio fratri conjugem tanto fastigio dignam quævisisset, deprehendit Athenaidem, pauperem quidem, sed formæ elegantia simulque litteris politioribus necnon optimis moribus excultissimam adeoque talem, quæ nonnisi divinitus tanto imp. destinata videretur, ideoque a paterna hæreditate exclusæ esset, quod sufficerent illi animi dotes, Rader. in aula sancta.

II. Benedicitur annulus pronubus, quem sponsus inserit digito sponsæ annulari. Significat vero is fidelitatem quam sibi invicem promittunt

in facie Ecclesiæ. Nam primo, ex eo digito ferunt, tendere venam ad cor, ut scribit S. Ambrosius, l. de patriarchis; Gellius, l. X. Pierius, l. XXXVI. et XLI. Itaque in eo digito vincitur quodammodo et constringitur conjugis cor, ut conjugii fidem servet, adeoque quoties illum intuetur annulum, recordetur datæ fidei et meminerit corde præstare, quod promisit ore. Tamar illa Judam redarguit et conviciat fornicationis secum patratæ annuli indicio, quem arrhæ loco ab eodem acceperat: *Cognosce, cujus sit annulus*, inquit, Gen. XXXVIII. Pari modo annulus ille pronubus seu datus seu acceptus arguit eum conjugem, qui fidem alteri fregit. (Quæ enim in manu gerimus, crebro in oculos incurrunt nec tradi facile oblivioni possunt) quasi dicat: *Cognosce, cujus sit annulus.*

Deinde, annuli firmitas et rotunditas indicat fidem conjugalem firmissimam esse debere adeoque infinitam, morte sola finiendam. Olim apud Romanos, ut refert Plutarchus, in quæstionibus Romanis, qu. XXIX. cum sponsa introduceretur in domum sponsi, non licebat sponsæ transcendere limen domus: sed ea sublata transportari a pronubis consuevit, ad indicandum, quod exire etiam domumve sponsi deserere non deberet, nec ab ejus thoro separari, nisi vi ejiceretur, sicut vi est introducta. Hoc idem sibi persuadeant conjuges christiani, se nimirum e conjugii sui septo nequaquam exituros nisi per mortem efferrantur. Agrienses in Hungaria cives, anno 1562. a Mahomete Bassa gravissima obsidione cincti sexaginta millibus militum et multis promissionibus provocati ut se dederent, nihil responderunt, sed feretrum inter duas lanceas nigro panno velatum in mœnibus collocarunt, volentes indicare, si Turca urbe expulsus vellet, mortuos efferet, Maiol. tom. III. Canic. coll. II. Eadem fortitudine propositique tenacitate præditi esse conjuges debent, ut cum a dæmone, mundo, carne evocantur ad transiliendum conjugis sui scamma, animum obfirmant, nec nisi ab ipsa morte efferrî se patiantur.

III. Jungunt sibi mutuo dexteram, promittentes eo ritu sibi non solum desponsionem, verum etiam mutuum auxilium, quod sibi invicem porrigere maxime in adversis debent: necnon mutuum obsequium, quo se obstringunt, ut vir ea curet, quæ sunt patrisfamilias, uxor quæ sunt matrisfamilias. Equitatem reciproci hujus juris intellexerunt etiam veteres Romani, apud quos nova nupta sponso, cum in ejus domum introducebatur, dicebat: *Ubi tu Caius, ego Caia*, hoc est, ubi tu bonus paterfamilias fueris, ego bona materfamilias ero, teste Plutarcho, in quæst.

Rom. q. XXX. Intellexerunt et veteres Germani, dum novæ nuptæ ad domum suam deductæ offerebantur par boum eidem jugo alligatorum, ut refert Cornel. Tacitus, de moribus German. c. I. quo nuptam admonebant, sociam esse debere viro in trahendo familiæ jugo. Ergo vir sit quasi luminare majus et sol, qui interdum discurrit operaturque, uxor luminare minus et luna, quæ in tenebris lucet; prodeat vir foras curetque externa et graviora negotia, maneat uxor domi, foris non appareat, nisi urgente necessitate: *Domus curam habeat*, uti monet apost. ad Tit. c. II. et docuit etiam Plutarchus, quando mulierem voluit esse similem testudini, domoportam scilicet. Jucundus est pilæ ludus, quamdiu alter alteri pilam repercutiendo tradit: quorum altero cessante, statim cessat ludus et recreatio. Ita si vir sua curet, uxor quoque sua, jucundum erit conjugium; at vero si alteruter vel uterque officio suo desit, ibi desinit jucunditas. Optime colluserant Abraham et Sara, Gen. XVIII. Divertentibus enim ad se angelis, Abraham cucurrit ad armenta ut afferret hœdum, Sara cucurrit ad culinam et coxit esculentam; ille foris, ista domi satagens rebus suis.

IV. Manus amborum stola sacerdotali circumvoluta quodammodo colligantur, quo sciant contrahentes se mutuo sibi devinctos esse, ita ut neque per adversa, neque per prospera separari ab invicem debeant, sed utramque fortunam una fortiter sustineant, quasi duo annuli sibi mutuo implexi. Mos olim Romanis erat, ut novis conjugibus præferretur aqua et ignis, et ab iis tangeretur. Causam reddit Plutarchus, in quæst. Rom. q. I. quia cum capitalis Rom. civium pœna esset interdictio ignis et aquæ, seu exilii (aqua enim et igne destituti migrare compelluntur) significare conjugibus voluerunt, alterum ab altero deseri non debere, sed eos in societate qualiscumque fortunæ persistere, etiam ita rebus ferentibus, ut præter ignem et aquam nihil boni una frui detur. Ita Hypsicratea Mithridatis regis conjux, habitu virili induta, tonsis capillis, militiæ assuevit, quo maritum semper insequeretur, et omnibus ejus periculis interesset ac laboribus, Valer. l. IV. c. VI.

V. Sacrificium missæ celebratur ex decreto Evaristi papæ, qui etiam ordinavit, ut in locis sacris benedicerentur conjuges, non in privatis ædibus. Ejusdem sacrificii in nuptiis celebrari soliti meminit Tertullianus, lib. II. ad uxorem ad fin. ubi ait: *Matrimonium Ecclesia conciliat* (id est copulat) *et oblatio* (missæ scilicet) *confirmat.* Ecce vero hoc, nisi ut auxilium Dei per id conjugibus imploretur? *Ab Jove principium*, dicebant genti-